



# **Dissertatio medica inauguralis exhibens momenta quaedam ex haemorrhagiarum aetiologia**

<https://hdl.handle.net/1874/322622>

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

EXHIBENS

MOMENTA QUAEDAM

EX

HAEMORRHAGIARUM AETIOLOGIA.

DISSEPTATIO MEDICA IN ACURBIS

LAMBERG

NOBILITATI QUAE DAM

ET

ACURBIOGRAPHICARUM AETIOLOGIA

DE

AVANGENTE SEMMO ACURBIO

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGISTRICI

PETRI JOHANNIS ISAACI DE FREYBERG

PROFESSORIS PUBLICI MEDICINAE ET CHIRURGIAE

IN

ACURBIOGRAPHICIS ACADEMICIS CONFERENTIIS

DE

ACURBIOGRAPHICIS ACADEMICIS CONFERENTIIS

PROFESSORIS PUBLICI MEDICINAE

ET

ACURBIOGRAPHICIS ACADEMICIS CONFERENTIIS

IN

ACURBIOGRAPHICIS ACADEMICIS CONFERENTIIS

IN

ACURBIOGRAPHICIS ACADEMICIS CONFERENTIIS

ACURBIOGRAPHICIS ACADEMICIS CONFERENTIIS

DE

ACURBIOGRAPHICIS ACADEMICIS CONFERENTIIS

ACURBIOGRAPHICIS ACADEMICIS CONFERENTIIS

ACURBIOGRAPHICIS ACADEMICIS CONFERENTIIS

ACURBIOGRAPHICIS ACADEMICIS CONFERENTIIS

ACURBIOGRAPHICIS ACADEMICIS CONFERENTIIS

ACURBIOGRAPHICIS ACADEMICIS CONFERENTIIS

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

EXHIBENS

MOMENTA QUAEDAM

EX

HAEMORRHAGIARUM AETIOLOGIA,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PETRI JOHANNIS ISAÄCI DE FREMERIJ,

MATH. MAG. PHIL. MED. ET ART. OBST. DOCT. ET PROF.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO:

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE

IN MEDICINA

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

*In Academia Rheno-Trajectina*


RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

DANIEL GUALTHERUS WINKLER

VIANENSIS.

A. D. XXII M. Dec. anni MDCCCXLVIII, hora V.



TRAJECTI AD RHENUM,

APUD C. BIELEVELT.

MDCCCXLVIII.

PARLESIBES OPTIBS, CARISSIBS,  
PRAECEPTIBS,  
DIBUSQUE SIBI FURE, ASTUTISSIBS

PARENTIBUS OPTIMIS, CARISSIMIS,  
PRAECEPTORIBUS,  
QUICUNQUE MIHI FUERE, AESTUMATISSIMIS

*SACRUM.*

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
PHYSICS DEPARTMENT  
RESEARCH REPORT  
No. 100  
1950

The following report was prepared  
by the author in connection with  
his work on the theory of  
the interaction of light and  
matter. It is based on a  
series of lectures given at  
the University of Chicago  
in the summer of 1949.

CHICAGO, ILLINOIS  
1950

## INTRODUCTIO.

---

### § 1.

Antequam ad argumentum nostrum de haemorrhagiarum causis diversis accedo, inutile fore non censeo pauca quaedam de aetiology in genere, ejusque inter disciplinas medicas momento et usu praefari.

Triplicem esse aetologiae finem credimus. Inservit scilicet ad diagnosin faciendam, ad prognosin constituendam, denique ad indicationem in singulis morbis formandam.



Ad diagnosin faciendam tota aetiologia inservire potest. Causis nempe rite perpensis, effectus intelligi, atque pathogenesis satis facile explicari omnino videtur. Ubi morbi symptomata minus evidenter apparent, aut dubia sunt, e causarum examine saepe diagnosin efficitur. Ita diagnosin in neurosibus variis, si ex vermibus ortum ducunt, melius aliquando e causa, quam ex morbi symptomatibus fieri potest. Ut diagnosin inter haemoptoënam et haematemesin instituatur, cognitio causarum, quae morbum antecesserunt, perquam necessaria saepe est.

Videamus ergo quodnam momentum ad instituendam diagnosin habeant variae causae a veteribus propositae. Prima divisio in internas et externas causas, quamvis per se non magni momenti sit, medico practico saepe maxime inservit, qui, externis non inventis, omnia perpendit, ut causae internae indicia inveniat, quibus diagnosin statuere possit. Quod ad distinctionem attinet inter causam praedisponentem atque occasionalem, certe hujus recta cognitio ad diagnosin magnam partem confert. Praeclaro pathologo Gaubio, qui causas praedisponentes morborum semina nominavit, de earum momento maxime persuasum fuit, ita ut eo jam tempore de hisce dictum sit.

"quando quaestio de morbis cognoscendis et curandis erit, nihil boni effici poterit, sine seminiorem accurata cognitione".

Recte, ut mihi videtur, distinguit summus ille pathologus inter seminia communia, seminia propria et seminia praeternaturalia, quorum priora (communialia nempe et propria) ex fonte physiologico desunta, diagnosi maxime inserviunt. Praeternaturalia morborum seminia statum pathologicum ponunt, quo homines facilius morbum contrahunt. Illis causis praedisponentibus a medico rite cognitis, morbus citius dignoscitur, imo ante eius invasionem hic saepe prognosticatur. Ita, ut rem exemplo illustrem, hae in phthisi praedispositiones veluti symptomata, phthisin incipientem indicantia, sunt habendae, e quibus noscitur morbus.

Causis praedisponentibus latentibus; ubi scilicet nullae, praeter communes, examinari possunt, causae occasionales certe majoris fiunt momenti, pulchre aliquando indolem declarant morbi praesentis.

Causam proximam tandem maxime etiam inservire diagnosi ex ipsius definitione jam patet, sicuti, causa proxima detecta, diagnosi exinde facta sit. Dolendum tamen cognitionem nostram causae proximae in plerisque morbis mancam valde esse et imperfectam.

## § 2.

Aetiologiam saepe multum adferre ad prognosin statuendam facile patebit, si nobis proponamus, vehementissima et maxime metuenda symptomata saepe minus infaustam reddere prognosin, si ex causarum investigatione appareat, morbum praesentem esse benignioris naturae. Debet omnino causarum cognitio prognosin modificare. Nonne dirae convulsiones saepe morbum comitantur, ab imperito quae reformidantur, dum, cognitis morbi causis, perspecta imprimis ejus causa proxima, meliorem et faustiozem prognosin formare licitum est?

## § 3.

Quam maxime autem aetiologiae utilitas in lucem prodit ad indicationem instituendam. "Die Therapie," sic egregie Naumann scripsit, "findet ihre allein mögliche Begründung in der Pathologie. Die Zeit muss kommen in der nur dasjenige Heilverfahren gebilligt werden wird, welches aus der Pathogenie abgeleitet werden kan." 1) Illud viri clar. effatum imprimis valet de aetiologia, pathologiae validissima

---

1) Naumann, Pathogenie, Vorrede. pag. VII.

parte, quum pathogenia fontem suum et auxilium praecipuum habeat in bene perspectis causis.

Accedit alia aetiologiae utilitas ad morborum curationem, nempe ad prophylaxin: curatio prophylactica nempe aetiologiae justa notione imprimis nititur. Huic curationi causarum occasionalium investigatio imprimis utilis est; quum, ubi praedispositio latet aut praetervisa est, morbus saepe praecaveatur, occasione evitata.

Haec praemittenda credidi, ad statuendam aetiologiae utilitatem. Argumentum, quod pro hac dissertatione eligi, haemorrhagarum aetiologiam spectat. Certe res est difficillima, et viribus meis superior. Veniam igitur erratis det benevolum rogamus lectorem. Errores illos juveni ignoscat, qui temporis et experientiae luce se indigere candide fatetur.

In elaboranda materie hunc ordinem mihi sequendum arbitratus sum, ut capite *primo* inquireretur in haemorrhagarum causam proximam, *secundo* vero in causas remotiores.



## CAPUT I.

### DE HAEMORRHAGIARUM CAUSA PROXIMA.

#### § 4.

Divisio haemorrhagarum a veteribus accepta, e causis proximis, quae morbum constituunt, est petita. Idcirco oportet ut in nostri argumenti pertractatione cum hisce causis incipiamus, atque hanc veterum doctrinam comparemus cum iis, quae hodierni auctores in medium proferebant.

Galeno jam auctore, statuebant veteres triplicem haemorrhagiam: 1<sup>o</sup>. per diaeresin, quam credebant esse vel rhexi vel diabrosi, 2<sup>o</sup>. per anastomosin, 3<sup>o</sup>. per diapedesin.

Haemorrhagia per diaeresin, scilicet per rhexin,

ponens lacerationem parietum vasorum, vi mechanica ortam, aequae ac haemorrhagia per diapedesin, ubi vasorum parietes ulcerationis vel macerationis processu corripuntur, nullo dubio semper in divisione causali haemorrhagiarum momentum habebunt. Haemorrhagia contra per Anastomosin, ex antiquiorum definitione, falso praemisso nitebatur. Secretionem nempe veteres sibi explicabant per oscula, quae in finibus vasorum capillarum adesse credebant; illis osculis quacunque de causa apertis, vel potius dilatatis, haemorrhagiam oriri fingeant. Nulla tamen oscula adesse, neque in mucosis neque in serosis membranis, tum patet ex recentiorum observationibus subtilioribus microscopicis; tum etiam talia oscula obsessent legibus ab omnibus agnotis, quae sanguinis circulationem regunt et constituunt. Hodierni ergo pathologi fere omnes haemorrhagiam per anastomosin rejiciunt.

### § 5.

Aliam causam proximam haemorrhagiarum posuerunt veteres, sc. per diapedesin vel transsudationem. Duplex ejus datur ratio, petenda ex haemorrhagiae definitione. Qui omnia nempe profluvia rubro colore tincta

haemorrhagias dicere volunt, certe tales per transsudationem originem habere contendunt, nulla vasorum laceratione praesente. De hac haemorrhagiae specie infra sermo erit. Statuentes autem haemorrhagiam esse sanguinis ipsius profluvium, accipere debemus dissolutionis speciem in vasorum parietibus, quum sanguinis corpuscula sine illa transire non possent. Tali modo in morbis putridis et in scorbuto explicari possunt haemorrhagiae, quae (quamvis propter sanguinis dissolutionem pro parte serum coloratum transsudetur) tamen verae sunt haemorrhagiae, propter vasorum parietum dissolutionem. Quaestio hic proponenda est, num, pro majori certe parte, causa sit quaerenda in ipso sanguine dissoluto, num in fibrinae copia in sanguine imminuta, ad quam recte Budge responsum dedit: »Man darf aber nicht glauben, dass bei Mangel an Faserstoff die Blutkörperchen leichter durch die Capillargefäße durchtreten könnten; die Ursache kann hierin unmöglich liegen. Es ist mir vielmehr wahrscheinlicher, dass der Faserstoff wesentlich zur Bildung der Capillargefäße beiträgt, und dass diese ohne jenen leicht zerfliessen.“ 1)

1) Budge, Allgemeine Pathologie, pag. 498.

Exinde patet diapedesin hoc sensu accipi posse causam proximam haemorrhagiae, id quod pulchre confirmatur effato Clar. Stark, dicentis: „Ist das Blut sehr dünnflüssig, also arm an plastischen Bestandtheilen und zersetzt, so vermag es nicht, die Gefäßwände und festen Theile in ihre Integrität und normalen Cohärenz zu erhalten. Es erfolgt ein Erweichen, Zerfließen, Schmelzen derselben, damit auch eine organische Trennung der Gefäßwände und in Folge dieser Blutaustretung (colliquative Blutung).“ 1)

Quum autem transsudatio vi vocis significet transitum materierum per vasorum parietes, simplici endosmosi explicandum, in quo saepe nulla esse potest quaestio de haemorrhagia, melius videtur, perspicuitatis causa, diaeresin et diapedesin ad idem reducere principium. Resolutio igitur parietum vasorum tum in diaeresi, tum in diapedesi, causa proxima haemorrhagiae dici potest; illa modo cum differentia, quod

1) Allgem. pathol. pag. 1057. Evidens est, illas haemorrhagias colliquativas easdem esse, quas veteres per diapedesin explicabant; quoniam autem jure profluvia nonnulla, sine vasorum laesione, ad haemorrhagias referantur, infra exponendum erit.



in diaeresi, ex causa remotiori magis locali, vasa majora ut plurimum afficiantur; quum in diapedesi, ex causa organismo latius inhaerente, vasa capillaria plerumque peccant.

Ex his propositis sequitur, veterum anastomosin rejiciendam esse; atque diapedesin et diaeresin strictiori sensu magis sibi accedere, quam plures recentiores adhuc proponunt 1), qui diapedesin ad causam organico-dynamicam ut dicunt, sine continui solutione, referunt. Praeterea patet, veterum divisioni subesse vasorum laesionem in omni haemorrhagia.

### § 6.

Recentiores autem, praeter mechanicam, etiam causam organico-dynamicam accipiunt atque haemorrhagiam per secretionem agnoscunt. 2). Ut hanc perspiciamus nonnulla de secretionem in genere antepore nere necesse est.

Secretio, Valentino monente 3), processus est, quo materies e sanguine, per membranam organicam

1) Cf. Canstatt, Handbock der Geneesk. Kliniek, I. 1. pag. 114.

2) Cf. Stark, Allg. Pathol. pag. 1055.

3) Cf. Valentin in Wagner's Handwörterbuch, sub articulo Absonderung.

transsudatae, mutantur, ita ut producta peculiaria pro singulis organis proveniant. Requiritur ad illam perficiendam rete vasorum, e quibus materies exsudentur, porro tela, in qua mutatio locum habet, materierum acceptarum secretionem efficiens, denique, superficies libera, ubi materies secretae deponuntur. Tali modo secretio distinguenda a simplici transsudatione, qua materies, quibus sanguis scatet, immutatae vasa permeant, ad quam tela intermedia opus non est.

Secretionis fundamentis ita in genere acceptis, patet, nullam veram haemorrhagiam ex illa provenire posse. Nonnulli autem auctores in organis glandulosis secretoriis anastomosin adhuc accipiebant inter vasa capillaria et canaliculos organorum secretioni inservientium, quod autem Cl. Valentin ita refutat, ut nullum dubium de illa remanere possit.

### § 7.

Inter auctores, qui haemorrhagiam per secretionem defendebant, enumerantur viri clar. J. P. Frank et nuper etiam Schönlein. Praecipua argumenta, quae in medium proferebant, sunt sequentia: Haemorrhagiae facile et frequenter in organis secretoriis, in membranis imprimis mucosis, proveniunt. Transeunt

secretiones facile in haemorrhagias et vice versa haemorrhagiae in secretiones, ex. gr. sputa sanguinea, lincta catarrhalia subsequencia; blenorrhoea intestini recti haemorrhoidum pedissequa. Oriuntur denique haemorrhagiae ex abusu mercurialium, cathartico-rum, in genere medicamentorum secretionem incitantium.

Quoad primum: quod haemorrhagiae quam plurimum in membranarum mucosis, organis κατ' ἐξοχήν secretioni dicatis, proveniant, monendum: aequae facile haemorrhagias observari in portionibus membranarum mucosarum parcius secernentibus, atque in illis quae profusas secretiones edunt; quum e contrario in aliis partibus perraro haemorrhagia oriatur, quamvis secretio perquam magna sit. Exemplo sint frequentissimae narium haemorrhagiae, paucae contra faucium et bronchorum, quamvis secretio in hisce non valde differat.

Praeterea etiam, haemorrhagias in illis organis frequentiores esse, satis facilem explicationem invenit. Id locum habet tum propter potentias nocentes, quibus praeter alias expositae sunt membranae mucosae; tum propter majorem vasorum copiam in hisce organis, ubi multae materiae e sanguine formantur.

Transitus haemorrhagiae in secretionem et e contrario

secretionis in haemorrhagiam validum esse videtur argumentum. An vero probat sanguinem hoc in casu esse secretum? Aequè bene rationem hujus explicare possumus, si contendimus, statum morbosum esse natum, e quo secretio abnormis adducitur; quod, in ulteriori morbi decursu vasorum continuum laedatur et haemorrhagia ita adveniat; atque contra, ut, haemorrhagia cessante, ex vasorum continuo soluto, tum adhuc secretio abnormis (vasis nempe adhuc morborum) remaneat. Sic sputa, sanguinis striis obiecta, in pneumonia, resolutione incunte, vasorum laesioni tribuenda sunt; atque secretio morbosa materiei mucosae in haemorrhoidibus facile explicanda ex sanguine stasi mutato, quo, ubi vasa jam distenta orgasmum non ferunt, sed laeduntur, ita ut haemorrhagia oriatur.

Ubi haemorrhagia ortum ducit ex abusu nonnullorum medicaminum, nulla datur ratio illam per secretionem explicandi. Num autem nimia eorum dosi secretio augetur? Num haec esset haemorrhagia per secretionem? Non videtur. Magna dosi adhibita congestio, irritatio, imò inflammatio oriri solent. Ubi congestio et irritatio advenere, aequè bene secretio cum sanguine mixta et sanguinis fluxus explicari possunt ex orgasmo, cui vasa resistere non possunt; sic Baum-



gärtner 1): „Im kranken Zustande aber kan in Organen mit schwammigen Bau, bei Erschlaffung des Gewebes, starkem Andrang des Blutes, Ueberfüllung und Ausdehnung der Gefässrinne, wohl zuweilen das die Gefässwandung bildende Gewebe einzelnen Blutkügelchen den Durchgang gestatten.“ Quod hic ponit auctor, aperte est dilaceratio vasorum; et statuendum omnino fere eundem statum morbosum ex medicaminum talium abusu provenire posse. Si inflammatio vero orta esset, secretio non augetur, sed potius imminueretur et cessaret.

### § 8.

Dantur argumenta, majoris certe momenti, quibus utebantur auctores ad defendendam haemorrhagiam per secretionem, scilicet: haemorrhagiae sic dictae criticae, atque comparatio haemorrhagiarum cum menstruatione.

Haemorrhagiae criticae ejusmodi sunt, quae, ex quocumque organo proveniant, per alias sanguinis detractiones artificiales, suppleri non possunt. Egregie

---

1) Baumgärtner, Handbuch der speciel. Krankheits- und Heilungslehre, I. pag. 587.

de illis observat Naumann 1): „Merkwürdig ist es, dass in einer Epidemie, die unter diesen Umständen vorgenommenen künstlichen Blutentziehungen nicht nur die ausbleibende freiwillige Blutung nicht zu compensiren vermochten, sondern dass sie vielmehr offenbar nachtheilig wirkten. Dieser Vorgang macht es sehr wahrscheinlich, dass die Krise in der Ausleerung eines *eigenthümlich gemischten* Blutes ihren Grund hatte, welches nur aus einem bestimmten Organe, (hier vielleicht in Folge von eigenthümlicher, der Blutung vorangegangenen secretion also verändert) in dieser Beschaffenheit ausfliessen konnte.“ Ipsa verba auctoris attuli, dum unum in iis invenitur argumentum, vix intelligendum. Accipit nempe Clar. Naumann peculiarem sanguinis compositionem, explicat illam per „*eigenthümlicher, der Blutung vorangegangenen Secretion*,“ quid autem per illa contendere voluerit auctor, qui antea (l. c. § 134) haemorrhagiam per secretionem penitus denegavit, non patet. Observationem ipsam tamen veram esse etiam constat ex historia morbi ab Andrallio relata 2), ubi in pleuritide, venae sectione jam frustra instituta, haemor-

1) Naumann, Pathogenie, pag. 380.

2) Andral, Clinique Medicale, Tom III. pag. 431.

rhagia uterina adveniebat, illo cum eventu, ut morbus citissime sanaretur. Ut ipsa Andrallii verba de hoc casu referam: «Remarquons encore que dans ce cas, l'évacuation sanguine, provoquée par la nature, fut beaucoup plus efficace que la saignée.»

Patet quidem ex illis effectum haemorrhagiae maxime differre pro organo, e quo provenit; nequaquam tamen argumentum haberi potest haemorrhagiae per secretionem. Eodem modo sanguinis depletiones artificiales saepe in organo remotiori instituuntur, si morbi causa hoc requirat, et majorem tunc edunt actionem, quam ubi affecto organo propius erant advectae. Eadem fere in casu proposito locum habent ac in haemorrhagiis criticis.

Num autem (praeter locum quo haemorrhagia advenit) modus effluxus, aut arte provocatus, aut natura proveniens, vim habeat et efficaciam in sanguinis effluxi compositionem, non constat nec facile probabitur. Neque tamen valde improbabile videtur, si variabilem consideramus sanguinis compositionem, e vena missi, quoad fibrinae copiam, pro varia forma et magnitudine aperturae, per quam effluit. Posset quidem hoc modo crisis salutaris per haemorrhagiam explicari, quae natura provenit, sed quae depletionem artificialem (quamvis eodem organo adhibita) desideratur.



## § 9.

Plurimi auctores, qui, haemorrhagias morbosas comparando cum menstruatione, haemorrhagiam per secretionem defendunt, argumenta imprimis sumunt ex menstruationis scopo, quem statuunt, atque ex sanguinis menstrualis modificatione. Ut clarius rem proponam, Starkii verba afferam 1): »Daher auch die Menstruation, dieses normale Vorbild der Blutflüsse, jenen doppelten Character (von secretive und excrementitielle Blutflüsse) an sich trägt. Sie ist ein secretiver Blutfluss, insofern der zur Erzeugung und Ernährung eines neuen Organismus bestimmte, für seinen Zweck zur Zeit nicht verwendbare, als überflüssige Bildungsstof ausgeschieden wird. Insofern aber das Menstrualblut mehr eine venöse, kohlenstoffige, nicht gerinnbare Beschaffenheit hat, und durch dasselbe die ganze Blutmasse im wahren Sinne des Worts vom überschüssigen Kohlen-Wasserstoff gereinigt wird, ist ihm auch die excrementitielle Beschaffenheit nicht abzusprechen.“ Scopus, quem proponit vir clar., quod sanguis menstrualis, novi organismi nutritioni inserviturus excerneretur, foetu non praesente, et hinc

1) l. c. pag. 1063.



cum aliis secretionibus conveniret, nequaquam probatus est; major vero fides habenda opinioni, quam J. Muller proponit, menstruationem nempe effecturam, ut corpus humanum omni tempore aptum sit ad generationem. 1)

Quoad sanguinis menstrualis modificationem, certum est secretionem in organis genitalibus coïncidere cum menstruatione, quod imprimis patet ex acida reactione, quae in hoc sanguine observatur; quum autem sanguinis globuli fere immutati in hoc fluxu menstruali adsint, nullo alio modo, nisi vasis ruptis, talis sanguinis fluxus explicari potest. Sola differentia ponenda tum in minori sanguinis menstrualis fibrinae copia, tum in coagulationis defectu, quod facile explicatur ex acidi cujusdam praesentia, quod in mensibus invenitur. Menstruationem igitur considerandam credo haemorrhagiam, ex congestionem uterum versus periodica, cui vasa resistere non possunt, cum secretionem in utero junctam.

#### § 10.

Ex hisce omnibus bene perpensis haemorrhagiam per secretionem rejiciendam esse concludo, tum

---

1) Handbuch der Physiologie des Menschen. Tom II. pag. 640.

propter rectam ipsius secretionis definitionem, tum quia argumenta ad illam defendendam proposita non sint approbanda.

Insuper ex hucusque propositis concludere licet, nullam veram haemorrhagiam talem dici posse, nisi adsit solutio continui. Quum autem fluxus sanguine tincti adsint, qui ab omni aevo haemorrhagiae habitusunt, nulla tamen vasorum destructione probata; quum etiam limes non facile sit statuenda, ubi verae haemorrhagiae adsint, vel ubi solummodo serum sanguine coloratum sit; quum denique, uti vidimus, transitus non denegandus est a simplici ejusmodi transsudatione seri colorati, ad veram haemorrhagiam per vasorum capillarium dissolutionem; male agerem, si hasce e serie haemorrhagiarum penitus excluderem. Tali modo accipienda esset haemorrhagia per transsudationem, qua intelligatur oportet, non diapedesis veterum, neque secretio recentiorum auctorum, sed magis transgressio seri sanguine tincti per vasorum parietes; nulla harum continui solutione praesente, neque materie in hoc transgressu ullo modo mutata.

Liceat igitur sequentem haemorrhagiarum divisionem, e causa proxima petitam, in medium proferre, qua omnes haemorrhagiae distingui possunt: 1<sup>o</sup>. in hac

morrhagias veras, continui solutionem ponentes; ad  
 quas pertinent haemorrhagiae per rhexin, per diabro-  
 sin, et quidem per diapedesin, veterum sensu; 2<sup>o</sup>. in  
 haemorrhagias spurias. In hisce vasorum continuum  
 solutum non est, dum etiam sanguinis globuli desunt;  
 patet autem has facile in illas transire, atque saepis-  
 sime ambas conjunctas inveniri debere.

DE HAEMORRHAGIARUM CAUSIS RESOLUTIONIBUS

causa proxima in ipso vasorum continui solutio  
 potest hoc respectu hinc in casu rhexionis in-  
 ducere. Quam efficiat maxime dilata, nam haemor-  
 rhagis creditur et modo non tam imperante, an-  
 tiam dicitur ex processu extra vas dependenti, hoc  
 distensum causam lumbulorum haemorrhagias.  
 Haemorrhagias ex crura extra vas posita, duplici  
 modo fieri potest: 1<sup>o</sup>. vi mechanica. (Ponit haemor-  
 rhagiam per rhexin, quam silentio praeternititae causas.  
 In casu rhexin de haemorrhagis durante postu-  
 mationem partium adhaerentibus tum aliis de quo-

## CAPUT II.

### DE HAEMORRHAGIARUM CAUSIS REMOTIORIBUS.

#### § II.

Causa proxima in ipso vasorum contextu posita, oportet hoc respectu nunc in causas remotiores inquirere. Quum scilicet maxime differat, num haemorrhagia oriatur ex morbo ipso vasi inhaerente, an ortum ducat ex processu extra vasa decurrente, hoc diversarum causarum fundamentum habebimus.

Haemorrhagia ex causa extra vasa posita, duplici modo oriri potest: 1<sup>o</sup>. vi mechanica. (Ponit haemorrhagiam per rhexin, quam silentio praetermittere censeo. Hoc etiam valet de haemorrhagiis durante partu atque post partum advenientibus; tum etiam de apo-



plexia, quae dicitur traumatica, ex vi externa vel in caput, vel in truncum agente, nata.) 2<sup>o</sup>. Haemorrhagia oritur processu morboſo in organo, e quo haemorrhagia provenit, quamvis vasa non primarie ſint affecta. Patet hic haemorrhagiam intelligi per diabrosin. Quum autem illa non tam frequenter adveniat, quam primo intuitu crederetur, aliquid fuſius de illa agere necesse cenſeo. Imprimis hoc fieri oportet de pulmonum haemorrhagiis in phthiſi, ubi vomica jam adest, ex diabrosi nonnunquam deducendis

In phthiſi laborantibus haemorrhagia quam plurimum advenit; nunc ante morbi evolutionem, nunc durante ejus decursu; hic autem modo quaestio est de illis haemorrhagiis, quae oriuntur in vomica formata ex vasorum ulceratione. Raro autem talis haemorrhagia oritur. Cl. Andral unum modo morbi casum deſcribit, ubi caverna (haemophthiſi praecessa) post mortem sanguine impeta inveniebantur.

Causam investigaturus, cur adeo rara in hoc phthiſcos stadio sit haemorrhagia ex Andrallio ſequentia afferam: «Nous n'avons pu trouver qu'une ſeule fois l'orifice du vaisseau rompu, dont le sang s'était vraisemblablement échappé pour remplir la caverne. Ce vaisseau était contenu dans une bride, qui traversait

la cavité et qui s'était déchirée. Son orifice béant était bouché par un petit caillot fibrineux de couleur blanche, qui, à l'aide d'un stylet, fut aisément extrait du vaisseau; on put alors s'assurer que la cavité de celui-ci était conservée. Mais dans tous les autres cas, il nous a été toujours impossible de rapporter à la rupture de quelque gros vaisseau l'existence de l'hémorrhagie. Celle-ci était elle alors le resultat d'une sorte d'exhalation à la surface des parois de la caverne?" 1). *Ultimae opinioni optime accedendum, quum ipse auctor etiam affert, saepissime inveniri in vomitibus pus sanguine tinctum. Ratio, quare ejusmodi haemorrhagia in phthisi rara adeo sit, quaerenda omnino videtur in ipsa concretionem vasorum. Egregie hanc causam exposuit Clar. Schroeder van der Kolk, qui concretionis processum in vasis minoribus incipere demonstrat et ad truncum procedere. Vasis vasorum autem hoc processu participantibus, nulla nutritio trunci concreti amplius locum habere potest, ita ut, vase jam clauso, ejus exulceratio et resolutio adveniant, dum nulla haemorrhagia sequi possit.* 2)

1) Cf. Andral, Clinique Médicale, Tom. II, pag. 175. e. s.

2) Cf. Schroeder van der Kolk, Observations Anatomico-pathologicae. Fasc. I. pag. 74. e. s.

Pulmonum autem haemorrhagias interdum oriri posse ex illa causa, patet ex casu ab Andrallio relato. Accedit quod in vomica, sustentaculis, quae vasa tenent, remotis, haec dilacerari et rumpi possunt, antequam per ulcerationis processum sint affecta. Ceteroquin monendum in aliis organis, non adeo raram esse haemorrhagiam per diabrosin.

### § 12.

Quoad haemorrhagiam ex causa intra vasa posita, haec ortum ducit vel ex morbosa sanguinis conditione, vel ex nervorum vi mutata, vel denique ex vasorum parietibus morbo correptis.

I. Sanguis, haemorrhagiae causam efficiens, duplici modo peccare potest, scilicet: 1<sup>o</sup>. Sanguis crasis potest esse mutata. Haemorrhagiae enim imprimis oriuntur ex sanguine nimis fluido, nec non ex fibrinae copia imminuta. In omnibus morbis, ubi talis sanguinis dyscrasia adest, haemorrhagiae oriri possunt. Facile patet tales haemorrhagias (in initio nempe) non esse veras, sed potius oriri per transsudationem serisanguine tincti; tamen morbo procedente veram haemorrhagiam oriri posse, extra omnem dubitationis aleam positum est et constat ex ratione supra exposita.



Hinc haemorrhagiae sunt explicandae, quae in typho, scorbuto, morbo maculoso Werlhofii, similibusve sese ostendit. Num haemorrhaphilia, morbus constitutionis, ad has haemorrhagias referri debeat? Quamvis certe aliquid conferat sanguinis dyscrasia, videntur potius nunc plures causae concurrere.

2°. Sanguis peccare potest ratione ejus copiae, atque etiam ratione distributionis irregularis. Duplex itaque est haec morbosa conditio. Quum autem ex copia sanguinis simpliciter adaucta (plethora vera) nulla haemorrhagia oriri possit, nisi simul ejus distributio mutata sit, conjunctim de illis tractare melius esse credo. Ubi sanguinis copia aucta est, ex causa occasionali, congestionem in organo quodam efficiente, facile haemorrhagia exoritur. Plurimae autem haemorrhagiae ortum ducunt ex sanguinis distributione perversa, quae ponit in organo hyperaemiam, cui vasa, quacunque de causa, resistere nequeunt, tum ex congestione activa, tum ex impedimento in sanguinis circulatione.

Adveniunt tales haemorrhagiae activae saepe in pulmonibus, in primo phthiseos stadio, ex irritatione continuata; vel antequam ullum hujus morbi symptoma adsit: nonnunquam tunc tuberculorum genesin, vel iis praesentibus eorum emollitionem accelerantes, ut



egregie probavit clar. Andral in Observ. III, XII, XIII, XIV et XV de phthisi pulmonali. Cerebri haemorrhagiae ex cordis partis sinistrae hypertrophia, atque haemorrhagiae criticae ita dictae, etiam huc referri merentur.

In haemorrhagiis, propter impedimentum in circuitu sanguinis ortis, vasa extenduntur et tandem dilacerantur, uti cerebri haemorrhagiae ex quadam pulmonum parte impervia, vel ex morbis cordis; nec non haematemesis ex lienis morbosa affectione satis illustrant. Ita atrophia cerebri (etiam monente clar. Rokitansky), quae causa est hydrocephali senilis, aliquando apoplexiam senilem efficere posse, ex causa mechanica, satis clare patet.

Haemorrhagiae descriptae tamen rarissime ex causa tam simplici proveniunt; quum propter extensionem vasa diu resistant, nisi sanguinis dyscrasia, vasorum morbi, aliaeve affectiones, quae haemorrhagiam inducere possunt, simul adsint.

### § 13.

II. Nervorum influxus ad haemorrhagias efficiendas nequaquam negandus est, quippe, nervorum vi imminuta aut penitus destructa, nisus in haemorrhagias augetur.

Argumenta, quae hanc nervorum vim et efficaciam probare valent, sunt: facilior haemorrhagiarum ortus, ubi magna adest debilitas; vi nervorum nempe ex hac debilitate immutata; atque haemorrhagiae nonnunquam natae post nervos descissos. Sic haemorrhagiae facilius oriuntur post profusas sanguinis detractiones, cujus rei Naumann casum refert apertum, a Graves observatum, quem hic communicare locus datur: Homo nempe apoplexiam passus, quae iteratas depletiones indicaverat, his debilitatus, pleuritide haemorrhagica corripiebatur, lethali cum eventu. Post mortem sanguinis copia in pleurae saccis inveniebatur 1). Et quoad haemorrhagiam, descisso nervo, experimentum ad rem illam illustrandam a doct. Brachet in cane institutum est; descissis nempe renum nervis, tali modo ut nulla nisi sanguinis communicatio remansisset, post aliquot dies urinam secretam sanguine tinctam inveniebat. Hoc phaenomenon explicandum videtur tum per transsudationem seri, propter sanguinis stasin, tum per vasorum (hyperaemice impletorum) dilacerationem.

Nonnulli auctores nervorum influxum ita explicant

1) Naumann, l. c. pag. 377.

ut, nervis descissis, vasorum nutritio non amplius locum habeat, et parietes resolvantur, argumentum sumentes ex sequelis iisdem pro fibrinae imminutione et nervorum descissione. Clar. Budge hancce opinionem secutus est dicens: »Woher mag es kommen, dass nach Durchschneidung der Nierenerven statt Urin Blut secernirt wird? Sind auch hier vielleicht die Gefässwände der Capillaren in einen dissoluten Zustand versetzt worden? So viel ist sicher dass Wegnahme des Faserstoffs und Durchsneidung der Nerven ähnliche Folge haben, wie die Durchsneidung des Nervus Trigemini lehrt 1).“ *Mihi non est viri clar. opinionem dijudicare, illi autem accedere non dispar videtur.*

§ 14.

III. Tandem vasa ipsa peccare possunt, et ansam dare ad haemorrhagias.

Huc pertinent vasorum, imprimis arteriarum, dilacerationes spontaneae, quae non solum aneurysma sic dictum spontaneum, sed etiam haemorrhagiam internam efficere possunt. Consideranda hic imprimis sunt: Aneurysma dissecting, uti Angli vocant, atque processus

1) Budge, Allgemeine Pathologie, pag. 500.

atheromatosus, Rokitsanskyi descriptione optime illustratus 1), recentiorum autem perquisitionibus subtilissimis evidentissime in lucem positus.

In casu priori tunica arteriarum cellulosa, inflammationem passa, resolvitur a tunicis media atque intima, quae nunc sanguinis impulsui resistere non possunt, sed dilacerantur ita ut sanguis inter tunicas internas et cellularem effundatur; atque postea saepe, uti in casu quem Rokitsansky affert, tunica externa dilacerata, haemorrhagia externa oriatur. Fissura tunicarum hoc in casu in directione fibrarum locum habet. Alia, quam hujus rei explicationem dedit Rokitsansky, hic tanquam minoris momenti, praetereunda. Observandum autem hoc in morbo, cordis sinistrae hypertrophiam plerumque adesse.

Alius vasorum morbus positus est in processu atheromatoso. Incipit hic cum depositione materiae, structurae tunicae internae haud dissimilis, ad internum arteriarum parietem, quam alii explicabant ex inflammatione tunicae cellularis, ejus producta per alias tunicas transirent, alii vero ex depositione e sanguine

1) Rokitsansky, Handbuch der pathologischen Anatomie, II. pag. 534 e. s. atque pag. 600 e. s.



dyscrasico, inflammationem tunicae externae secundariam tunc ponentes. Investigationes recentiores ultimam opinionem, quam Rokitansky imprimis secutus est, confirmant fundamentis plus valentibus. Conclusiones ex hisce perquisitionibus imprimis microscopis, viris clar. Donders et Jansen 1) institutis, deducendae, sunt sequentes: Ex sanguine crasi mutato, materies deponitur ad superficiem liberam tunicae internae, plures depositiones subsequuntur strata formatas; postea emollitio cum formatione adipis et cholestearini ad stratum primo formatum incipit;

- 1) Donders en Jansen. Onderzoekingen omtrent den aard van de ziekelijke veranderingen der slagaderwanden. — Doct. Jansen nuper observationes cum publico communicavit de coagulationibus in arteriis, ubi de harum origine sermo est. Historiam refert sectionis, ubi coagulationes inveniebantur in arteria aorta neque cum cordis illis, neque cum atheromate (quamvis in basi atheromatosa adessent) convenientes. Quemnam effectum tales habere possent coagulationes in arteriis depositae, ad earum tunicas afficiendas, non constat, quum ipse auctor illam historiam nimis raram esse dicat, ut ex illa conclusiones deducere par esset. Si autem ex pluribus autopsiis melius nota erit talis degeneratio, haud improbabile videtur, exinde emollitionem tunicarum atque momentum causale haemorrhagiae in posterum explicatura fore. (Nederlandsch Lancet, N<sup>o</sup>. 11. Mei 1848).

emollitio cum adipis depositione advenit in tunicis intima et fibroso-circulari, quae tandem destruuntur, ut nulla nisi tunica cellularis remaneat. Aliquando loco transitus hujus depositionis in materiam atheromatousam, aut etiam juncta cum hac, in ossificationem transire potest illa degeneratio.

Hisce propositis optime intelligi potest, quomodo, hoc processu bene evoluto, intima et media nempe tunicis destructis, sanguis sub tunica cellulari extravasari, et tandem, uti Rokitansky (l. c.) casum commemorat, haec disrupti possit. Non saepe autem talem sequi haemorrhagiam, patet ex observatione probata, quod nempe, processu atheromatoso orto, plurimum tunica cellularis incrassetur.

Ex eadem affectione, praeter vasorum majorum dilacerationes, cerebri multae haemorrhagiae ex vasis minoribus hunc processum participantibus, explicari possunt, de quibus vir clar. Rokitansky recte monet: »Vorzugsweise verwandt diesen Fällen der zweiten Reihe (haemorrhagiae post processum atheromatousum valde evolutum) sind die häufigen spontanen, oder auf ganz unerheblichen Veranlassungen, sich ereignenden Zerreibungen kleinerer, erkrankter, in ihren Häuten rigid, brüchig gewordener Arterien, wie

solche nebst andern besonders bei der Apoplexie (Gehirn-Hämorrhagie) stattfinden 1)." Atque nuper mihi contigit similem observare casum, ubi, in cadavere hominis apoplexiam passi, eadem arteriarum rigiditas et fragilitas aderat, juncta cum atheromate in arteria aorta, quem casum doct. Oudenhoff descripsit 2). In hoc uti in plurimis aliis casibus, cordis sinistrae hypertrophia aderat.

Omnes hi morbi in arteriis sedem habent, quibus alii, teneritudo vasorum vel eorum angustia, addendi sunt, facile haemorrhagiam efficientes. Adveniunt ceteroquin in aliis vasis, imprimis in venis, affectiones, quae haemorrhagias adducere possunt. Venarum autem morbi, tam frequenter haemorrhagiam non efficientes, hic, ne nimis prolixiores simus, exponendi non sunt.

### § 15.

Causae, quas in hoc specimine recensui atque exemplis illustrare conatus fui, generales sunt; speciales vero, a nobis non propositae, facile ad principia, quae constitui, reduci possunt.

1) l. c. pag. 609.

2) Oudenhoff Casus apoplexia Select. cas I. Trajecti ad Rhenum 1848.

Id unum adhuc observare mihi liceat. Ex causis illis haemorrhagarum, separatim propositis, nequaquam concludendum, (quamvis ex unaquaque per se haemorrhagia oriri posset), tam simplices illas esse solere.

E contra, uti jam saepius exposuimus, plurimae haemorrhagiae ex variis causis confluentibus proveniunt.

Huic igitur finem imponam causarum inquisitioni animadvertendo, quod, in haemorrhagia data, nequaquam medico sufficiat unam invenisse morbi causam, quum ex pluribus, in unum quasi effectum confluentibus, originem saepe habeat.

T A N T U M.

Causae, quae in hac speciebus reperiuntur, aliis exemplis illustrare conatus sum, generales sunt; speciales vero, a nobis non praeparatae, facile ad principia quae constitui, reduci possunt.

1) l. c. pag. 608.

2) Godeboldi Causae speciales de haemorrhagia, Lipsiae 1848.



THESES.

I.

Nitrogenium alimentorum pro parte per pulmones  
excernitur.

II.

Ubi cordis soni non audiuntur, mors certa.

III

"Der Mangel pathologischer Wahrheit kann nicht  
durch scholastisches Schematisiren ergänzt werden."  
Romberg.

IV.

Non datur chondritis.

V.

Deposita atheromatosa non producuntur inflam-  
matione primaria parietum vasorum.

## VI.

"Sowohl Pathologie als Therapie finden ihre eigentliche Regel in der Physiologie."

Naumann.

## VII.

Chinini usus in morbis typicis chinoïdini administrationi praefendus.

## VIII.

Chemia principia, quibus actio Olei Iecoris Aselli in corpus humanum tribuenda est, nondum posuit.

## IX.

Arsenici usus in medicina nequaquam reprobandus.

## X.

Cholera Asiatica est morbus contagiosus.

## XI.

Theoria curationis in peripneumonia, quam exposuit cl. Wunderlich, minus probanda videtur.

## XII.

Male hypochondriaca passio idem morbus habetur in viris ac hysterica in feminis.

## XIII.

Recte de chirurgia Desault: "l'Art, qui tant de fois défigure la nature, aussi la corrige et l'embellit."

## XIV.

In cerebri commotione venam continuo secare periculosum est. Larga sanguinis generalis depletio serius demum convenit, reactione ingrediente.

## XV.

Operatio strabismi non tantum cosmeticum.

## XVI.

In eclampsia parturientium partus quam citissime absolvendus.

AAN MIJN VRIEND

D. G. WINKLER,

EIJ ZIJNE BEVORDERING TOT MEDICINAE DOCTOR.

---

Geluk, mijn vriend aan 't einde van het pad,  
Dat, kronklend door de Stichtsche lustwarande,

In zoete vreugd, die alle zorgen bande,

De bloemen hood der Academie-stad;

Nog zweven ze in haar pracht van bonte kleuren

Als tooverkrans voor uw verbeelding heen,

Uw ziel ontwaart haar liefelijke geuren

Op d'adem van 't verleên.

Maar 't schoonst gebloemt, gekweekt in zuivere lucht,

Verkwijnt, vergaat, moet eindelijk verwelken,

En scheppe ook 't hart behagen in die kelken

Wij vordren meer dan bloesems zonder vrucht;

Geluk, mijn vriend, die vruchten kunt ge gaderen

Op de onafzienbre baan der waarheid, die zich thans

Vertoont voor uwen blik, — zij rijpen naast de bladeren

Van uwen lauwerkrans.



Betreed die schoone baan met nieuwen lust en moed,  
 Wees als het zonnelicht een zegening voor allen,  
 Is d'aardschen wandelaar de wandelstaf ontvallen,  
     Zoo steun hem door uw kunst en sterk zijn wanklen voet;  
 Wijs hem verfrischingsbron wanneer zijn krachten falen,  
     Opdat hij welgemoed zijn dorst naar leven lesch',  
 Uw nutte wetenschap zwaai over duizend kwalen  
     Den scepter van Hippocrates.

Dan zal de vreugd u niet verlaten, — neen,  
 Zij zal in 't licht van uwe daden tieren  
 En 't nieuwe pad met nieuwe bloemen sieren,  
     Als hoop en hulp zich hechten aan uw schreên;  
 Die vreugde klim' bij 't wentelen der jaren,  
     Zij kroone uw kruin met zaligheid en vreed,  
 Zij sture uw levenshulk langs de opgeruide baren  
     Der ondermaansche zee!

I have not seen the author's name  
 in any of the editions of the  
 book which I have seen. It is  
 possible that it was in some  
 of the earlier editions, but I  
 have not seen any of them.  
 The name of the author is  
 not mentioned in the title  
 page of the book.

The name of the author is  
 not mentioned in the title  
 page of the book. It is  
 possible that it was in some  
 of the earlier editions, but I  
 have not seen any of them.  
 The name of the author is  
 not mentioned in the title  
 page of the book.

1783025

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

HEARST'S MAGAZINE

1900

CHICAGO, ILL.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS